Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tio multorum ad unum dei cultum.

Magnum pietatis sacramentum. Q. R. quid hic dicatur sacramentum. Quamquam sacramentum dicatur sacre rei signum. ut sacramentum baptismi et altaris. quamquam dicitur sacramentum aliquid occultum et secretum. sive misterium. Solutio. Sacramentum vocatur Christus secundum divinitatem occultus. quia causa est totius religionis. et vere cultus. Quis enim umquam fuit pius et devotus in fide. nisi sacramenti huius per perceptam cognitionem.

Manifestum in carne. Q. R. de qua manifestatione hic agatur. Solutio. De illa que facta est predicatione. virtutibus et signis in carne assumpta ostensis.

Iustificatum in spiritu. Nonne sermo processit de verbo dei. Hoc non est iustificatum. sed potius ab eterno iustum natum. Solutio. Cum sermo sit de Christo. diligenter intuendum est quid dicatur. et secundum quid. Hoc ergo iustificatum in spiritu intelligitur Christus secundum assumptum hominem. secundum quem immunis est ab omni peccato. omnimodam habens iustitiam. Apparuit angelis et cetera. Hic habemus auctoritatem quod angeli proficiunt in sciencia. per ea que fiunt in ecclesia. quod supra: Super locum. ut multiformis sapientia innotescat principibus et cetera. prosecuti sumus diligentius. et expositor idem testatur in hoc loco.

IIII. Nichil reiciendum. Q. R. an hoc contrarium sit legi doctrine que discernit quosdam cibos. dicens alios mundos. alios inmundos. Solutio. In lege quedam animalium dicta sunt inmunda. non natura sed significatione. ut si de porco et agno requiratur. utrumque mundum in natura. quia omnis creatura dei bona est. in significatione tamen agnus mundus est. porcus inmundus.

Pietas ad omnia utilis. habens promissionem vite que nunc est et future et cetera. Q. R. quid vocet promissionem presentis vite. nam de promissione future vite constat. Solutio. Temporalium sufficientiam et spiritalium habundantiam. utrumque enim deus promittit cultoribus suis. Sufficientia temporalium promittitur in lege. Primum querite regnum dei. et hec omnia adicientur vobis. Habundantia spiritalium ut scriptum est. Quecumque hec vel illa reliquerit propter me. centuplum accipiet in presenti. id est spiritalium bonorum iocunditate. que temporalium bonorum affluentiam tantum excedit. quantum centenarius unitatem superat.

Que data est per prophetiam. Prophetiam vocat electionem sanctorum qui elegerunt eum in pontificem. vel potius spiritus sancti inspirationem. per quam cognovit apostolus ipsum esse dignum episcopatu.

Cum impositione manuum. Impositionem manuum vocat ubi mis-